



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XV. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Henricus Urbem aliquam ingressurus, ante omnia ædem Marianam adiit, in ea non raro noctes integras transigens, dum Romæ in Templo MARIÆ Majoris vigilaret, à Beatissima Virgine missum per Angelum pacis osculum accepit. Virginitatem cum Cunegunde Uxore servavit. *Nad.* Pulcherima hujus Cæsaris victoriarum est Cupido victus.

S. Henrice, cui vox de cælo resona, *Post* sex te ad solium & coronam evocavit, ora pro me, ut ubi nescio an ante, vel post, aut post quot sex mortis meæ hora ingruerit, ejus auxilio, & tuâ intercessione paratus inveniar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum, si occasio dabitur, nocte Templum Marianum versus me convertam, eam veneraturus.

Potest MARIA cuivis in suo exitu præsens consolatrix ductrix, & protectrix existere. *Gerson tract. 6. in Magn.*

Quæstio: An Deipara post institutam Sanctissimam Eucharistiam quotidie communicaverit? *v. Barri Ann. Mar. c. 17.*